

Petrus de Vinea

*Ep. V 116 (Pridem contra
moniales quasdam...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 116 (Pridem contra
moniales quasdam...)*

1220-1250

Inquisitio facienda supra quibusdam articulis contra moniales.

1. Pridem contra moniales quasdam monasterii Sancti Iuliani in Brixia, super quibusdam articulis, quos tibi mittimus presentibus interclusos, per ..., Potestatem Cremonae, fidelem nostrum, cui exinde scripsimus, inquiri mandauimus ueritatem. 2. Cumque per inquisitionem eandem non fuerit nostro beneplacito plenarie satisfactum, propter quod inquisitionem de ipsis uolumus iterari, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus inquisitionis predictae suffragio cum alio studio, auxilio et sollicitudine tua, ueritate de hiis diligentius inquisita, si moniales ipsas super premissis inueneris culpabiles extitisse, eas de locis eiusdem monasterii, Cremonensis episcopatus uidelicet, statim eicias, et bona ipsarum omnium ad opus curiae nostrae capias et fideliter facias procurari. 3. Si autem per inquisitionem, quam inde te facere uolumus, eas forte repperis super predictis articulis innoxias, cum pena tenere non debeat, quos culpa non grauat, monachas ipsas in locis predictis morari salubriter patiaris, bona earum omnia pacifice percepturas. 4. Interim uero, dum de predictis ueritas inquiretur, moniales ipsas in aliquo non molestes nec patiaris in aliquo molestari. Quicquid feceris de predictis, nostrae curiae rescripturus.